AUGUSTINI OLMI ... DE SINGULARI GASTRICARUM FEBRIUM OBSERVATIONE...

Agostino Olmi



PRÆSTANTISSIMO VIRO

PETRO BETTI

In Athenæo Medicarum Artium Florentino

Antecessori

Medicorum Collegii Sodali

Et Sanctæ Mariæ Novæ Nosocomii

PRÆFECTO

Tua jam undique erga humanitatem artemque salutarem pervulgata merita, Optime Antecessor, quum praeclarum in Sanctae Mariae Novae Nosocomio Praefecti munus sustineas, tuamque praestantem doctrinam in studiosos juvenes tanto cum plausu effundas, phisiologiae atque pathologiae praeceptis tradendis, in causa maxime sunt cur ego tibi hunc meum laborem nuncupem, ut gratior tuis auspiciis medicorum oculis appareat; et si aliquid

considerazione dignum in ipso reperiant ad experimentum revocare non renuant.

Tuam interim probatam animi benignitatem mihi te esse servaturum, meaeque erga te existimationis argumentum minime spreturum certe confido.

AUGUSTINUS OLMI



Post undeviginti annos quibus praxim acutarum gastricarum febrium in Sanctae Mariae Novae Nosocomio, singularibus cubiculis, exerceo, quum aliquid observatione dignum quoad potui, alio tempore, attulerim, quo meis aegris saltem profuisse credi possim; nunc novos observatus exponere mihi certum est, longo assiduoque studio comprobatos, ut aliquod augmentum arti salutari, ac utilitatem languenti humanitati afferam. Quum autem in dissertationis forma quaedam praecepta magnopere consideranda, quod ad curationem harum febrium attinet, exibere libeat, volo jam primum omnium animadverti ex vario earumdem percurrendi modo, aliquo praesertim tempore curationis, methodum variandam, ac modificandam esse, ne in maximos incidatur errores, quod absque longa experientia accidere facile est. Ex hoc agendi systemate dulce

videre est, miseros in mortis agone aliquando constitutos mirabiliter reviviscere, quod non tam raro mihi evenit, observantibusque in Nosocomio nuper fuit etiam assertum. Febris itaque, quae hominem aggreditur virium jactura, oris amaritie, vultu subpallido, quadam leni stupiditate, lingua vel arida, viridescenti, aut parum rubra, sordido muco oblita, dentibus labiisque in morbi cursu simili crusta obductis, cum interdum vomendi voluntate, oculis vel naturalibus, aut subrubeis, in somnum proclivitate, ac levi delirio in suo principio, graviori in febris cursu, cute vel sicca, aut naturali, frigoris levibus horripilationibus, ac sine istis, alvo constipata, vel leviter soluta, rara in principio ventris tumefactione, levi stomachi dolore, fere semper absque ulla cutis eruptione: haec symptomata, interdum mitissima, gastricam febrem ostendunt, praesertim quum pulsus sint parvi, ac debiles, calorque a naturali parum recedens; et per duos, tres, quatuor, et quinque dies aliquando persistunt, quae paullatim in dies augentur, aliisque novi generis insurgentibus junguntur, ut in aliqua hujus febris descriptione videbimus. Ne tamen in maximum excrescat opus, si harum febrium descriptio omnes mutationes, ac differentias vellet continere, quod penes medicos auctores videre optime est, quaedam solummodo artis auxilia

maxima digna observatione producere libet, quae in hujus febris gravissimo cursu praescribi debent, dum res fere conclamata apparet; dummodo morbi circumstantiae reperiantur pro quodam remedio exibendo requisitae, quo ex orci faucibus miseri mirabiliter ut plurimum eripiuntur. Ut ergo ad meam comprobandam sententiam veniam, et ut clarius elucescat qua febris periodo atque tempore remedium de quo acturus sum possit adhiberi, veramque morbi naturam ostendam, aliquid de hujus remotis, ac immediatis causis exponere expedit, ne remedii actio in corporis vires labefactatas, et in sanguinem a normali ordine valde amotum, quoad fieri potest, omnino obruatur. Hae in duas distingui possunt in externas nempe ac internas, utpote quae ad claram disputandi rationem accomodatae videantur. Inter primas recensenda sunt animi pathemata, nimius corporis motus, cibi malae naturae, venus immodica, palustris aeris actio, miasmata per aerem volitantia, transpiratio repressa, frigori longa expositio, atque calori, studia nimis protracta, somnumque impedientia, quae omnia corpus defatigando, ejusdemque vires hauriendo, stomachus suis muneribus in digestionis actione minime fungitur, omniaque chilopojetica viscera a naturali ordine recedunt, et ad morbum de quo agitur corpus disponunt, chilo male elaborato, qui dum in sanguinem immu-

tatur, semina ad septicum principium evolvendum apta efformantur. Ex causis supra dictis, quum sanguis male confectus oriri debeat, humores ab ipso secreti propriis visceribus, secundum qualitatem humoris secernendi pro vitae usu necessarii, morbosam naturam sequentur. Bilis in jecure fere omnium viscerum principe secreta, quum digestioni, atque chilificationi quammaxime inserviat, ex optima, vel prava ejusdem natura salus, aut morbus ut oriatur necesse est.

Haec ut immediata febris interna causa ut plurimum est consideranda, (1) ut symptomata ipsa declarant, scilicet anorexia, oris amarities, vultus subpallidus, fere subictericus, oculique hunc colorem praeseferentes, vomendi voluntas, stomachi ventrisque dolores, alvi dejectiones luteo colore tinctae.

Quid ergo fieri posse credamus quum ista male elaborata in ventriculo intestinisque haereat, reliquisque a naturali statu remotis humoribus immisceatur? Illa sane exorientur mala, quae satabunde praeclarissimum Swietenium monuisse legimus apud Borr. aph. § 84 *si vero bilis vel copia, vel incipiente putredine peccet cor-*

(1) Quum haec proxima causa, ex varia sanguinis humorumque in visceribus ab eo secretorum prava natura, diversisque diathesibus, diversa possit considerari; sequitur ut in varias differentias febris gastrica debeat distingui.

rumpit omnia, et acutissimos morbos omnia putrefacientes excitat. Id quamplurimi celeberrimi artis magistri confirmant, interque hosce Hoffmannus asserere non dubitavit, quod si bilis in intestinorum cavitate diutius haereat, febres acerrimas, convulsiones, spasmodicosque dolores aegrotantibus afferet, quum ex eadem causticitate stomachum veneni ad instar corrodere videatur; ut Bartolinum etiam id affirmasse novimus. Ex expositis credo neminem futurum esse qui dubitet, causam febrium gastricarum immediatam e bile quantitate, vel qualitate peccante esse deducendam. Ut ergo ad nostrum propositum accedamus, aegrotantem febre correptum primis diebus considerare oportet illis symptomatis esse affectum superius descriptis, ex materia prava redundante in primis viis, et absorptionis, ac irritationis ope in circulationis alveum perducta. Quum igitur lingua sordida appareat cum oris amaritie, vomitus voluntate, pulsibus debilibus, ad solicitandam alvum vel vomitum promovendum indicatio curatoria medico suadebit. Evacuationes etiam repetitae, croceas materias foetidasque effundentes, febrem debiliorem, pacatioremque aegrum initio reddunt; sed crescit in dies febris, sopor, aut delirium aliquando insurgit, pulsus debiles fiunt, dolor ventris oritur, qui vermibus interdum conjunctus anthelmintica remedia purgantibus mixta exposcit.

Febris et descripta symptomata permanent, clysteres quotidie injiciuntur, serum lactis assumit aeger, subacidasque potiones abundantes; phlebothomia praescribitur replicaturque si exposcat necessitas, non omissis sinapismis, epispasticis, cucurbitulis, hirudinibus, pro re nata, collo aliisque in partibus applicatis; sed res eodem modo procedunt; crescit interim debilitas, voluntas sumendi carnis jusculi decrescit, somniculosus fit aeger, calor licet moderatus cum sudore conjungitur, absque ullo levamine; diebus morbi auctis, alvi evacuationes non desunt, clysteribus solicitatae, faeces non amplius sunt foetidae, lingua non tam sordida inspicitur, venter non valde turget; sed vires deficiunt quammaxime, febris procedit semper parva, vultus pallescit, pulsus magis magisque ita languescunt, ut aeger vix loqui possit, quemcumque cibum vel levissimum respuit, viresque ad ultimum fere vitae gradum sunt perductae, et mors interim urget. Quid ergo faciendum aegris in tali gravissimo statu constitutis? Nil aliud certe quam vires reficere. At quibus auxiliis? et ex quo genere depromtis? Maxima aegri virium amissio, atque animi depressio, magna cujusvis capiundi cibi difficultas, pallida mortis imago, medici spiritum adeo torquent, ut nesciat quomodo ei possit succurrere; nam per corroborantia licet mitissima, praesertim siracusanum vinum, vel aqua quammaxime

dilutum, numquam profuisse, at potius ultimum damnum attulisse saepe illum docuit experientia. Tali animi anxietate, lac asininum si tentem, mecum ipse dixi, quid nocebit? Difficultas solummodo erit in illud aegroto propinando, qua devicta, exitus plura docebit; et revera blanda ac levis ejus natura in humoribus praesertim stomachi dulcescendis, ad absorptionem, eoque magis ad nutritionem apta, non poterit quin maximum emolumentum afferat, dummodo aegri imaginatio, ac stomachus ipse hoc egregium remedium non respuat. Res feliciter se habuit; nam aegri, cochleariorum usu istud primum sorbillando, dein quantitate aucta bibendo, mirabile vere visu! paullatim resumptis viribus, ut oleum lampadi fere extinctae injectum lumen excit, ad novam vitam miseri revocabantur, quod istis tribus peculiaribus casibus describendis clarissime apparebit —.

Regina Cibecchini agricola annorum triginta, temperamento sanguineo, viro conjuncta, ad Nosocomium se contulit mense Martii 1838; querebatur se magna corporis debilitate esse affectam, parvo capitis dolore: vultus parum rubeus erat, respiratio facilis, sed frequens, minime anhela; pulsus parvuli frequentes, calor febrilis; lingua crusta viridescenti erat oblita cum oris amaritie, alvus nec constipata, nec soluta, cum nausea, absque vomendi voluntate.

Solutionem mannae in senae decoctione assumit, et modicas evacuationes primis diebus obtinet: serum lactis, potiones subacidae, clysteres quotidie praescribuntur. Febris remissiones una quaque die sunt parvae, sine cibi voluntate, nedum jusculi carnis. In septima die somniculosa fit, vultus valde rubescit, aliquantulum respiratio laesa apparet, et aliquando tussis excitatur.

Timenti mihi ne pulmo phlogosi sit affectus, dubitatio occurrit an hoc sit potius symptoma febrile, quam vera pulmonaria affectio: sanguinis parvulam missionem praescribo, timens ne vires magis magisque diminutae febris characterem in sinocum putridum permutent, quod hisce febribus evenire facile est. Aegrotae conditiones post phlebothomiam in pejus ruunt, pulsus debiliores sunt, soporata semper est, tarda in alvo, sed faeces foetidas reddit potionum purgantium usu. Occurritur sinapismis brachiis, femoribus, epispasticis iisdem locis applicatis; clysteres jure carnis confecti ad corpus nutriendum injiciuntur cibum omnino respuenti; sed vigesima die nulla in melius apparet mutatio, immo virium fractio crescit, semper stupida interrogationibus vix lente respondet; post vigesimum diem omnia in eodem statu permanent, et viribus ad ultimum fere gradum perductis, nil aliud superest quam e vivis tol-

latur. In tali rerum statu asininum lac illi praescribo, quod pharmacopola Antonius Chiarugi valde miratur, irridetque quomodonam aegrotanti citissime moriturae dari, atque ab ipsa remedium hoc assumi possit, quum omnia ori admota repellat. Lac, mirabile vere dictu, non respuit , et initio cochlearibus, deinde, excubiarum cura, majori copia sumendo, hoc praestantissimo artis auxilio e mortis faucibus tollitur, omnium adstantium admiratione. Et de hac re quidem pene certus eram, quum stomachus, et intestina pravis faecibus essent vacua, quod ad lactis consequendum effectum plurimi interest, et praecipuum observationis indicium ad lac administrandum est, ut remedii actio utilis sit; nam in cadaverum sectione illorum qui febre gastrica mortui sunt, non tam raro stomachus, intestina, aliaque abdominis viscera nulla affecta labe visa sunt; ideoque mortis causa vel a quodam septico principio in sanguine evoluto nervorum systema afficiente, vitamque tollente procedere credibile est, vel a maxima jactura nervosi in cor influxus, ut aliquando credere necesse est — .

Cherubina Cibecchini annorum viginti, temperamento debili, et Franciscus frater, conjux Reginae, cujus superius historiam retulimus, idem temporis, eadem febre correpti in Nosocomium feruntur, mihique curandi obveniunt.

Quatuor in eadem familia febre ejusdem caracteris afficiuntur, ex quibus unus suae domi mortuus est. Cherubina iisdem symptomatis, quae Regina partitur, afficitur, et quinta febris die propter magnum capitis dolorem, parvam sanguinis missionem ex brachio subit, quae septima, et nona die hirudinibus collo applicatis renovatur: capitis adhuc dolore permanente, emplastrum epispasticum postica colli parte imponitur; febris lento modo procedit; stupida ac somniculosa est, sinapismi continenter femoribus brachiisque applicantur; levia purgantia alternis fere diebus, doloribus ventris saepe ipsam cruciantibus, potionesque subacidas, serumque lactis quotidie sumit aegra, cui undecima die epispastica brachiis, dein collo imponimus, pectore et capite id auxilii exposcentibus; sed omnia perperam; cibum vel levissimum aversatur; stupida, tardissime interrogationibus respondet: vires interim magis magisque pereunt, venter tamen non turget, cutis semper sicca absque sudore est, et tali in statu, vigesimum percurrit diem, viribus ad ultimum debilitatis gradum perductis: solummodo clysteres jusculo carnis confecti injiciuntur, jam jam moriturae. Asininum lac, quod ad hoc usque tempus adverso animo repulit, tandem, insistentibus excubiis, cochlearibus sumit. Ex hoc jampridem spreto auxilio, mirum portentum observantibus offertur; nam vires paullatim auctae puellam ad novam vitam feliciter reducunt —.

Franciscum Cibecchini annorum quadraginta bilioso temperamento usque a prima mea visitatione stupidum, nullaque febre inveni, pulsibus debilibus, colore lurido. Parum hic loquebatur, ac interrogationibus minime satisfaciebat: lingua ei lutea, vultus pallidus, nulla cibi appetentia, alvus potius tarda, abdominis cavitas neque tumida, neque dolens. Tres permansit hoc in statu dies, post quos paullatim insurgit calor, febris praecursor. Nausea, calor, capitisque dolor augentur in dies, oris amarities non deficit, pulsus potius validi reperiuntur; purgantia levia, usque a primis morbi diebus, potiones subacidae praescribuntur, sed pulsuum resistentia aliquantulum crescente, venam incidimus; ventris evacuationes foetidae, croceo tinctae colore non desunt, quae, purgantibus reiteratis clysteribusque, sat abunde fluunt.

Febris tamen eodem modo percurrit, stupidusque aeger semper est; calor post sanguinis missionem potius augescit, et pulsus ea conditione sunt, ut denuo sanguis mittendus sit; respiratio decima septima die aliquantulum laesa apparet; et pulsus calorque aucti, ut denuo eadem solita dosi mittatur sanguis indicio sunt. Omnia in vigesima die meliorem aspectum assumunt, sed debilitas quammaxima insurgit cum tussi sicca, sed rara, adeo ut aeger cibum quemcumque respuat, et in pejus valde ruere videatur, deficientibus omnino viribus. Asininum lac illi praebetur, et licet aegerrime sumat, quum vires

paullatim insurgere sentiat, libenti animo istud concupiscit, adeo ut ex eo vitam se reciperasse confessus sit.

Dignum nunc consideratione est, quod aegri, qui ad ultimum descriptum vitae gradum pervenerant, nulla, quae appareret, viscerum inflammatione, facilius ex exposito auxilio exitum felicem invenirent, quam illi qui aliqua, licet levi, phlogosi, praesertim pulmonum, afficiebantur, qui lactis usu, tussi remanente, serius ad salutem redibant. Reticendum denique non est, aegros hosce, magnis plerumque sacro in osse plagis ex decubitu affici, quae, emplastro pane ac lacte et chinae decoctione confecto, embregmatibusque ejusdem chinae, feliciter cicatrice obducebantur.

Quod ergo de circumstantiis, periodo, ac tempore hujus administrandi remedii proloquutus sum, ut ab artis medicae cultoribus libenti animo ad experimentum revocetur quammaxime exopto, quoniam non solum ex tribus quos retuli casibus, in aegris meae curationi in Nosocomio commissis, fuit confirmatum, sed etiam in quamplurimis renovatum, quos referre inutile, ac forsan grave lectoribus posset videri.